



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

5 Maledicere irritationabilibus est res vana.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

pro damnis illatis, aut, ne in futurum inferantur, procedi possit: Et, quia supra alibi pluribus egi de excommunicatione, quæ contra peccatores infligitur, in hac quaestione pluribus fundamentis, & argumentis pro utraque parte factis, partem affirmativam pro damnis, quæ hujusmodi animalia inferre possent evitandis, tenuit Cassianus in ampliss. ejus consilio primo super hac quaestione facto in quinque partes divisio præcipue in 5. parte à num. 80. usque in fin. Ego autem ad præcedentia continuando, ejus opinionem minimè veram esse existimo rationibus infra scriptis.

2 Primò enim ꝑ pœna nunquam infligi debet, nisi per legem imposita reperiat, gloss. 2. in cap. 1. de jur. patr. gloss. in sum. in fin. 15. quest. 8. Felya. in cap. & si clerici, numer. 13. in fin. de judic. & in terminis Cassan. post plures per ipsum allegatos in dict. cons. 1. par. 5. num. 45. Pœna autem excommunicationis solam animam, non corpus afficit. cap. si habes, 24. quest. 3. & cap. si quis presbyterorum, de reb. Eccl. non alien. nisi per quaedam consequentiam. Quapropter est medicinalis, ut cap. multi, §. nos verò & ibi Archid. num. 8. 2. quest. 1. cap. 1. de sentent. excommun. in 6. gloss. fin. in cap. notandum, 24. quest. 3. Abb. in cap. non dubium, num. 8. de sentent. excommu. Gemin. num. 5. eodem tit. & Lazari can. quest. spect. 1. quest. 3. num. 1.

3 Ideò in hominem, ꝑ non autem in irrationalia, infligitur, cap. omnis Christianos, 11. quest. 3. cap. 1. & 9. de offic. deleg. dict. cap. 1. de sent. excommun. in 6. & conc. Trident. in cap. 3. de resor. sess. 25. & quòd excommunicatio in rem inanimatam ferri non possit, Felyus in cap. eam te,

numer. 14. ver. secunda declaratio, de rescript. & Abb. in eod. cap. 1. & 9. numer. 4.

Secundò, ꝑ pœna excommunicationis non infligitur, nisi pro peccato mortali, cap. nemo Episcoporum, & ibi Archid. 11. quest. 3. & Navar. in cap. 27. num. 9. & 76. sed irrationalia, ut sunt locustæ, vermes, brucus, ærugo, mures, cæteraque id genus terræ frugibus undequaque infesta inanimata peccare non possunt; cum usu rationis careant: quod simile videmus in infante, & furioso, qui ex eo, quòd delinquere non possint, cum rationis sint expertes, nulla in eos promulgari potest excommunicationis sententia. Abb. in cap. ab excommunicatio, numer. 7. de rescript. Et, cum nullibi caveatur, quòd similia animalia possint excommunicari, in illa contra legum dispositionem excommunicatio non est extendenda,

Imò ꝑ irrationalibus maledicere in quantum sunt creaturæ Dei, est peccatum blasphemix; maledicere autem eis, secundum se consideratis, est otiosum, & vanum, & per consequens illicitum, ita inquit Sanctus Thomas 2. 2. quest. 76. art. 2. in corpore propè finem, D Gregor. in 4. moral. lib. 4. cap. 3. paulò post princip. Card. Tolet. in instruct. Sacard. cap. 13. circ. fin. ver. uno modo, ubi, inquit, considerando, ut creaturæ sunt Dei, ꝑ Quod hoc casu illis maledicere est peccatum mortales; Non autem, nisi justo Dei judicio, & permissione, ad fructuum devastationem dicta animalia deveniunt. Nam cum hujusmodi in mira multitudine, cujus non sit numerus, non segetes modò, & vineas, sed & arbores ipsas infestent, & destruunt; his homines affliguntur suppliciis, his pœ-

nis,